



TOPIC



~~1733~~

W. Stuber

W. Stuber

—



DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
**CAUSA MATE-
RIALI,**

7
QVAM
Auxiliante Divini Numinis gratia
IN ILLUSTRIS ACADEMIA JULIA
PRÆSIDE

**JOHANNES BARTHOLDO
NIEMEIERO**

*Prima Philosophiae Professore Publico
ac Ordinario*

Facultatis Philosophicae h. t. Decanò
Publicè examinandam proponet
CHRISTIANUS HENRICUS Behm
Bodenwerderensis.

AUTOR,
IN JULEO MAJORI
Ad d. xx. Decembr. clc Isc XXCIV.



1773
HELMSTADI,
Typis HENRICI HESSII.



MAXIME REUERENDO ATQUE AMPLISSIMO
DOMINO

DN. CHRISTOPHO
RO Fischer/

Ecclesiarum Göttingensium vicina-
rumque Superintendenti gravissimo, & in Inclyto Pæ-
dagogio Göttingensi Theologiæ Professori
celeberrimo

*Domino ac Patrono suo omni observantia cultu
prosequendo*

Disputationem hanc consecrat

CHRISTIAN HENRICH BEHM

Autor & Respondens.



Σὺν τῷ Θεῷ.

§. I.



E causa materiali acturus in hujus πραγματείας initio hoc mihi non sumam, ut prolixè probem, Materiam inter causas esse referendam, cum adeò ista de re ab omni ævo certæ fuerint Philosophorum scholæ, ut prima sit, quã cognoverunt, imò quã solam fermè pro causa habendam esse duxerunt οἱ πρῶτοι φιλοσοφῆσαντες, ceu videre est I. Met. III. quamvis tamen quænam res in genere materiæ quàm maximè sit prima, inter eos non facile convenerit, aliis aquæ, aliis aëri, aliis igni, aliis terræ hoc munus tribuentibus, ceu l. c. ab ipso Philosopho ex historia Philosophiæ commemoratur. Add. Soner. Comm. ad l. c. p. 119.

II. Neque dubium est, quin ea consideratio ad primam quoque pertineat Philosophiam. Quamvis enim Physici etiam sit de materia sollicitum esse, de eadem tamen istâ potissimum agit ratione, quatenus naturam habet & principium, in quo motus fiat, existit Quòd si verò aliæ sint ejusdem considerandi rationes, illas Metaphysico ultrò relinquet. Quænam autem illæ sint, exponat nobis Soner. Comm. ad VII. Met. III. p. 378. Non mirum videatur, inquit ibi, Metaphysicum hic de iis agere, de quibus naturalis Philosophus agit: Duplex enim inter eos intercedit discrimen: I. Physicus considerat illa principia sensibilia, materiam & formam, ut sunt principia essendi & fiendi, Metaphy-

A 2

si.

sicus autem ut sunt entia & tales substantia, 2. Naturalis non dirigit hanc considerationem ad altiore[m]; Metaphysicus autem dirigit ad cognitionem substantiarum abstractarum, sive separatarum.

III. Quandoquidem verò Materia non unâ ubique sese habet diciturque ratione, consultum est, modos ejusdem seorsim potius contemplari, quàm communem ejus naturam quærere, quæ tamen nulla est. Solet namque Materia, ceu *Armandus de Bello visu Tract. II. Expl. Term. cap. XXXIX.* animadvertit, triplex statui: *Ex qua, In qua, & Circa quam.* Quam quidem distinctionem ita exponi posse, ut sit in materias secundam rem diversas, non obscure innuit *Armandus l. c.* dum dicit, esse quandam materiam *in qua*, quæ non sit *ex qua*. Item dum contendit, evenire, ut materia *circa quam* neque sit materia *ex qua*, neque sit materia *in qua*. Alii contrà arbitrantur, distinctionem hanc esse unius ejusdemq[ue] materia in diversa officia, ita nimirum, ut eadem materia quòdam respectu sit id, ex quo aliquid est vel fit; quòdam verò respectu id, in quo aliquid est vel fit, quòdam verò respectu id, circa quod aliquid versatur; quibus verbis hanc sententiam describit *Stahlius Instit. Met. part. gen. cap. XVI.* quam etiam probat *Petrus Fonseca ad. V. Met. II. Quæst. I. Artic. I.* nec ab eadem alienus videtur *Suarez, Disp. Met. XIII. Sect. I. num. I.*

IV. Non est dubium, quin inter hos Materiæ modos iste sit præcipuus, quò materia dicitur esse *Ex qua*. Ea igitur hujus præcipue erit considerationis, prout etiam agnoscit *P. Musæus Instit. Met. cap. XVI. §. I.* Quam proinde Aristoteles quoque potissimum respicit, ubi de Materia ex instituto agit. Ita namque *II. Phys. III. t. 28.* nec non *V. Met. II.* inquit: αἰτιῶν λέγεται, ἕνα μὲν τρόπον,

ἐξ ὧ γίνεται τι ἐνυπάρχοντι ὅτιον ὁ χαλκὸς τὸ ἀνδραγατῶν, καὶ ὁ
ἀργυρῶν τὸ φουλάκη, καὶ τὰ πάντων γένη. *Causa unò modò dicitur*
id, ex quo insito aliquid fit; ut as statua & argentum phyalæ,
horumq; genera. Nec aliter lib. I. Polit. v. p. 23. inquit: λέγω
δὲ ὕλην, τὸ ὑποκείμενον, ἐξ ὧ τι ἀποτελεῖται ἔργον, ὅτιον ὑφάντη
μὲν ἔργα, ἀνδραγατοποιῶ δὲ χαλκὸν. Voco autem materiam stratum,
ex quo aliquod conficitur opus: ceu tectori lanam; fictori as.

V. Hunc igitur characterem materiæ assignat Philosophus, quòd sit ἐξ ὧ, sive principium aliquod passivum, quod non solum actioni agentis substernitur, sed & quod ipsius compositi constitutionem per modum principii passivi ingreditur. Quò pacto & quacum determinatione τὸ ἐξ ὧ nulli alii rei (causæ) competit, etiamsi aliàs multis modis *EX* dicatur, ceu videre est v. *Met. xxiv.*; inquit *Sonerus ad v. Met. II. p. 271.* Distinguitur igitur Materia hòc characterè à *Fine*, quia is est ultimum in executione, & propter quem res fit, non ex quo res fit. *Rejicitur (excluditur) deinde efficiens, quia effectus propriè non fit EX efficiente, sed AB efficiente. Excluditur quoq; Exemplar, quia res, qua fit, nò fit EX exemplari, sed AD exemplar. Item forma intrinseca, quia id, ex quo aliquid fieri dicitur, si propriè loquendum est, ejusmodi esse debet, ut non sit id, quod rem absolvit & perficit, sed quod pracedit absolutionem, si non tempore (quod est in omni propriè dicta effectione substantia necessarium,) certè ratione & naturâ. Itaq; propriè dicere possumus, rem naturalem constare ex hujusmodi forma, non item fieri ex illa. Hæc Fonseca ad v. Met. II.*

VI. Adhibuit etiam Aristoteles vocem: ἐνυπάρχοντι ὅτιον; & æque tum designavit, Materiam esse causam aliquam internam, sicuti & v. *Met. II* principiorum alia interna, alia externa esse docuerat; tum exclusas voluit privationes. *Quamvis enim ex non-homine dicatur fieri homo,*

A 3

EX

ex non - albo album , ex ægroto sanus, *lib. VII. Met. VII. I. Phys. VII. t. 61.* attamen non - homo ut talis non est causa materialis hominis , neque non - album albi , aut ægroto sani , quia nihil horum composito inexistit.

VII. Voces : *γενεσις* , *fit aliquid* ; respiciunt materiæ causatum , idque quàm maximè primarium , quod nullum aliud est , nisi compositum . Neque enim Materia propriè & per se fit , neque etiam forma , sed mutationis ab agente factæ terminus est compositum . VII. *Met. IX. lib. XII. Met. III.*

IIIX. Hoc compositum non solum dependet à materia , quando fit , sed & quando factum est . Simulac enim agens in materiam operatur , hæc tanquam principium passivum sese habet in illa generatione ; & quando ipsum compositum productum est , omnisque agentis actio cessat , non potest suam existentiam tueri , nisi materia pars ejusdem maneat . Essentiæ enim sese habent ut numeri , nec ullam partem sibi detrahi patiuntur . IX. *Met. III.*

IX. Neque verò solum compositum per modum causati atque correlati respondet materiæ , sed & forma , præsertim *materialis* . Ea tamen non est causatum materiæ primarium & *ut quod* , hoc enim compositum esse constat , quippe cujus solius est generatio , IX. *Met. I.* sed secundarium & *ut quò* ; quandoquidem id quod generat , non tam formam intendit , quàm per formam ipsum compositum . *Dicendum videtur , ordine natura , & quasi viâ originis hinc (à forma) proximè inchoari causalitatem materia , quia materia recipiendo actum componit compositum . Ordine verò intentionis primariò tendere in compositum , & ad illud ultimè terminari : & ideò illud propriè designari & nominari effectum (causatum) materia ; inquit Suarez . Disp. Met. XIII. Sect. VII. num. 8.* X. For-

X. Forma ista materialis duplici modò à materia dependet: & in fieri, & in esse. Dum enim ista è materiæ potentia educitur, hæc habet sese ut merum principium passivum, cum extra illud subjectum forma suum esse haudquaquam nanciscatur. *Formas namq; è potentia materia educi nihil aliud est, quàm formas in subjecto, potentiam habente naturalem ad illas, & tempore & naturâ præexistente, ita fieri, ut extra illud fieri non possint.* Forma enim qua educitur, non extra materiam primò seorsim producitur & postea extrinsecus materia adjungitur, sed in materia producitur, ipsa materiâ passivè sese habente. Ita loquitur *Sennertus lib. I. Natur. scient. cap. III. Add. Armand. de Bello Visu Explic. Term. Tract. II. cap. XIII. & Bened. Perer. libr. V. de. comm. rer. nat. princ. & caus. cap. XXII.* In esse verò forma materialis ab ipsa materia dependet, quòd extra materiam esse atque conservari non possit, sitque adeò *inseparabilis.*

XI. Sed quid fiet de forma immateriali? Annon & hæc inter materiæ causata recenseri potest? *Petrus Fonseca ad V. Metaph. II. Quest. I. Sect. II. quem imitantur Conimbricenses ad II. Phys. VII. Quest. IX. Artic. I.* putat, materiam etiam exercere causalitatem suam in ordine ad formam immaterialem, atque ita hanc quoq; suò modò esse materiæ causatum, non quidem quasi hæc pari modò è materiæ potentia educatur, sed quòd munere formæ non possit fungi, nisi materiæ sit unita: *Licet enim substantia vel existensia forma immaterialis non pendeat à materia, informatio tamen forma semper pendet à materia, tanquam à propria potentia: ergò forma ut informans pendet à materia ut à materiali causa: est ergò effectus (causatum) ejus.* Ita *Suarez. Disp. Met. XIII. Sect. VII. n. 4.* Quòd si igitur forma immaterialis est materiæ causatū, erit solummodò tale quo-
ad

ad esse respectivum, quod habet, forma autem materialis ejus causatum erit tam quoad esse respectivum, quam quoad esse absolutum.

XII. An præter hæc causatis materiæ *Generatio*, quæ ex natura rei distincta est & à forma, & à composito, sit quoque connumeranda? *l. c. num. 5.* quærit *Suarez*, cum materia sit principium generationis, teste *Aristotele*, & sit principium per se, & à quo essentialiter pendeat generatio. Erit ergo Materia vera & propria causa generationis: nam in illam suo modo propriissimè influit. Verum enim verò si ipsa generatio spectetur, prout est aliquid in materia, est potius materiæ causalitas in ordine ad compositum in fieri consideratum, sive, si *Suarezii* verbis *num. seq. 7.* uti placuerit, materia non causat generationem, nisi quatenus est via ad compositum, seu quatenus per illam pendet compositum in fieri ab ipsa materia. Unde licet generatio causetur à materia, tamen non tam causatur ut effectus (causatum,) quam ut via ad effectum (causatū;) & ideo licet ex natura rei distinguatur, non censetur augere numerum effectuum sive causatorum materiæ.

XIII. Cognitis Materiæ causatis, ejusdem causalitas nunc veniet investiganda. Quamvis autem de eadem variæ sint sententiæ, ceu videre est apud *Suarezium l. c. Sect. IX.* nec non apud *Fonsecam l. c. Sect. II.* atque hic inter alias opiniones & istam recenseat: duas necessario ponendas esse rationes causandi (recentiores causalitates appellant,) materiæ: alteram respectu compositi, alteram respectu formarum, non quidem omnium, sed earum tantum, quæ educuntur ex potentia materiæ; eã tamē postmodum *seq. Sect.* improbat, arbitratus, unam generalem causandi rationem (causalitatem) in materia non solum assignari posse, sed etiam debere, eamq; esse nihil aliud, quam sustinere formam, quatenus exercet officium formæ.

XIV

XIV. Equidem non nego, *Fonsecam* istam suam asser-
tionem longè melius posse tueri, si prius planum faciat, ma-
teriæ unam tantum respondere causatum, nempe Com-
positum, idq; solum in factò esse. At verò cum longè ali-
ter rem se se habere, ex superioribus jam tum sit notum,
satiùs esse duco, si magis distinctè hoc negotium fuerit
explicatum.

XV. Et quidem 1. si compositum *in fieri* considere-
tur, materiæ causalitas erit *passio*. Quemadmodum enim
à parte agentis *actio*, quâ compositum producit, consti-
tuit causalitatem, ita à parte materiæ, ex qua fit compositum,
nihil potest aliud causalitatis rationem habere, quàm
passio; quandoquidem actio & passio unus idemq; sunt mo-
tus, III. *Physic.* III. t. 21. Atq; eòdem modò 2. res se se habet,
si materia spectetur in ordine *ad formam materialem in fieri*
consideratam.

XVI. 3. Quòd si compositum consideretur *in factò esse*,
materia non amplius est causa compositi per passionem,
nisi dicere velis, continuâ generatione res fieri, sed *per uni-*
onem sui cum forma; ita quidem ut ea unio consideretur esse
in materia tanquam subjecto, formam autem respicere
tanquam terminum: Positâ enim hâc unione, actu est
compositum, & materia est causa compositi in factò esse
spectati.

XVII. 4. Quod attinet causatum materiæ secundari-
um, nempe *Formam*, si ea materialis sit, & *in factò esse* confi-
deretur, *Sueresius* quidem *Disp. Met. XIII. Sect. IIX. num. 10.*
II. arbitratur, materiæ causalitatem itidem absolvi unione
ejusdem cum forma; *Mendoza* autem *Dispnt. Phys. V. Sect.*
III. num. 23. seqq. hoc in casu materiæ causalitatem quærit
in perpetua dependentia materialis formæ *quoad esse suum à ma-*

B

terio

teria ejusq̄ potentia passiva. Sed si Suarezius se explicet, sermonem sibi esse de forma materiali *secundum esse respectivum considerata*, Mendoza verò se intelligi velit de eadem *secundum esse absolutum spectata*, rem omnem puto esse expeditam. Vid. *Clariss. Dn. Praeses Institt. Met. Disp. IX. §. x.*

XII. 5. Superest forma immaterialis, ratione cujus si materia aliqua competit causalitas, ea non aliter ipsi competet, nisi secundum esse respectivum hujus formæ, nec erit alia, quam unio materiae cum hujusmodi forma: posita enim eadem materia actu est illud subjectum, quod à forma informatur. Unio tamen illa formæ immaterialis est alius conditionis, quam unio formæ materialis, uti Suarez l. c. Sect. IX. num. 10. & Mendoza Disp. Phys. V. Sect. II. num. 19. annotârunt.

XIX. Ex iis, quæ hætenus allata sunt, nullò negotiò de ratione causandi, quæ materiae est tribuenda, collectio institui potest. Nimirum cum quæ de causalitate materiae attulimus, arguant, materiam esse subjectum merè passivè sese habens, ultrò sequitur, *potentiam passivam materiae esse illud principium, per quod materia apta est ut fiat causa tam formæ, quam compositi.*

XX. De illa potentia passiva quæsitum dudum est, an sit accidens aliquod materiae superadditū, an verò à parte rei sit ipsa ejus substantia sive essentia? Jacobus quidē Zabarella lib. I. de Materia cap. IX. eam pro materiae accidente habet, quòd pertineat ad secundam qualitatis speciem, cum ipsa materia sit in substantiæ categoria, dum inquit: *Ego credo, potentiam omnem tam agendi, quam patiendi (atque sic etiam potentiam materiae) esse in categoria qualitatis, & quidem in secunda ejus specie.* Ex parte & saltem ratione materiae proximæ eandem sententiam amplectitur Franciscus

ciscus Toletus 1. *Phys.* t. 70. *Quaest.* xiv. ita inquit: Si materiae potentia sumatur pro aptitudine ad recipiendam formam, vel pro aptitudine passiva, secundum quam proximè transmutari potest, talis materia est accidens proprium ipsius materiae.

XXI. Et falsitatem hujus doctrinae, & πρώτον in eadem commissum ψευδὸς viri eruditi detexerunt dudum, ut non opus sit eidem amplius immorari. Id tamen praeterire non possum, ipsum Toletum fateri coactum fuisse, quòd *adveniente formâ non destruat* potentia ista passiva materiae, sed privatio, quæ erat conjuncta cum illa potentia. vid. *Perer. lib. v. de comm. rer. nat. princ. & caus. cap. XXI. Stahl. instit. Met. part. gen. cap. XIV. nec non Clar. Dn. Præses Lustr. controvers. in Phil. Prima occur. cap. IIX. Quaest. I.*

XXII. Melior est sententia *Thomæ. in 1. Phys. t. 79.* statuentis potentiam passivam materiae esse ipsam ejusdem substantiam & essentiam. Quam amplectitur quoque *Mendoza Disp. Phys. II. Sect. II. n. 27. & Conimbr. ad 1. Phys. IX. Quaest. III. Artic. 1.* docentes, potentiam passivam materiae essentialem esse. Ipse *Suaresius Disp. cit. Sect. IIX. n. 6.* inquit: *potentia connaturalis est materia & ab illa omninò inseparabilis, etiam per potentiam Dei absolutam, imò etiam per intellectum concipi non potest materia completa in essentia materia, quin concipiatur capax formæ.* Eundem etiam in modum inquit: *Sonerus ad IIX. Met. VI. Posse illud materia non est aliquid diversum ab ipsa materia.*

XXIII. Congruit etiam hoc cum Aristotelis doctrina. Is enim *lib. I. de Gener. & Corr. VII. t. 55.* ita statuit: ἡ δ' ὕλη, ἢ ὕλη παθητικὴν. *materia ut materia, passiva est.* Et seq. *lib. II. cap. IX. t. 53. δ' μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ καὶ τὸ*

κίεσθαι τὸ δὲ κινεῖν, ἑτέρας δυνάμεις. Pati & moveri materia est,
agere verò & movere alterius potentia. Add. Plotin. libr. VII.
cap. XIX. Ennead. III.

XXIV. Materiam in Philosophia Aristotelica dispe-
re solemus in primam & secundam, quam distinctionem in-
nuere mihi videtur Philosophus IX. Met. I. docens, Ma-
teriam esse subjectum nunc ὡς τὸ δὲ τι, nunc ὡς κατὰ τί-
ρησιν. Priori modò est materia secunda, posteriori modò
est materia prima. Ita namque Arist. IX. Met. VII. Si quid
autem subjectum primum est, quod non ulterius ex alio co-
gnominetur, illud sanè prima materia est. Neque enim
arbitrandum est, distinctionem hanc esse in res
ὑποκειμένω distinctas aut separatas, (quò præjudiciò occupa-
ti videntur, qui hanc doctrinam Aristotelis fugillandam
sibi sumunt,) sed est distinctio materiæ tantùm secun-
dum λόγους diversos. Hinc Armandus de Bellovisu Tract. II.
Expl. Term. cap. XXXIX, docet, non quidem materiam pri-
mam seorsim existere, ab omnibus formis, dici tamen ma-
teriam consideratam absq̃ quacung̃ forma substantiali. Et Domi-
nicus de Flandria ad IX. Met. Quæst. IX. Artic. I. inquit: Materia
potest dupliciter considerari: unò modò prout denudatur, ab omni
dispositione ad formam; Et sic dicitur materia prima. Alio
modò consideratur materia, ut est disposita & proxima ad suscepti-
onem formæ contracta per actionem agentis naturalis. Et istò
modò Materia dicitur secunda. Quæ quidem non differt à prima
secundum essentiam, sed amba dicunt eandem essentiam, acce-
ptam tamen sub diversis esse. Hæc ille. Ex quibus patet, pri-
mam materiam considerari non cum forma aliqua, vel
actu, sed tantùm prout est materia & potentia passiva; se-
cundam verò materiam spectari cum aliqua forma, atq̃
ita eam compositi rationem quoque habere.

XXV

XXV. Ubiq; Aristoteles primam rerum materi-
 am secundum propriam naturam, quam ut materia, ade-
 oque ut res incompleta habet, considerat, sequentia de e-
 adem tradit. 1. Eam non esse sic unum existens, neq; sic ens, ut τὸ
 εἶναι. I. Phys. VII. t. 69. II. de Anim. I. t. 2. Conf. IX. Met. VII. t.
 12. 2. Eam esse ἀμορφον ὑποκείμενον, informe subjectum, quod in
 sua essentia formam non quidem includat, III. de Calo II. X.
 t. 67. quodq; propterea formam expetat, sicut turpe pulcrum,
 aut ut femina marem, I. Phys. IX. t. 81. 3. Eam esse ἀπέριστον καὶ ἀόριστον
 ἢ, infinitum ac indeterminatum quid. Infinitum quidem pro-
 pter formarum multitudinem; Indeterminatum verò, quia
 per nullam formam ad certam compositi speciem est re-
 stricta. III. Phys. VII. t. 65. lib. IV. cap. II. t. 15. XII. Met. II. t. 10.
 quæq; proinde per se neq; quid h. e. ad solam formam sub-
 stantialem & compositum substantiale essentia suâ fit de-
 terminata, neq; quantum, neq; aliud quidquam eorum sit, οἷς ἄπει-
 σοι τὸ εἶναι, quibus ens definitur. VII. Met. III. t. 8. imò neq; ipsa ne-
 gationes horum, quippe cùm hæc per accidens existant. l. c. h. e.
 neq; etiam sit determinata essentia suâ ad formas acciden-
 tales, sed ad illas æquò ac ad substantiales formas sese habeat
 indifferenter, ita ut non minus has, quàm illas recipere,
 ac per easdem determinari possit. 4. Hanc ob causam
 Materia Aristoteli vocatur nonnunquam Non ens, non
 quidem simpliciter, sed κατὰ συμβεβηκός, ex accidente, quia
 non est res determinata, sed potentia est, quicquid est. II. X.
 Met. II. lib. XI. cap. II. non tamen simpliciter h. e. non-ens ne-
 gativum, XI. Met. X. Ita enim lib. I. de Gener. & Corr. III. t. II.
 idem explicatur, quòd potentia quidem sit Ens, actu au-
 tem non-ens; cùm verò actu est ens (& quidem determi-
 natum, sive tale vel tale,) sub specie est vel sub forma,
 X. Met. II. X.

XXVI. 5. Dicitur quoq; hæc materia *ingenerabilis & incorruptibilis* 1. *Phys.* l. IX. t. 82. XII. *Met.* III. Conf. VII. *Met.* l. IX. Si est ingenerabilis, & tamen ab alio est, per creationem strictè dictam oportet eam esse productam. Ac quamvis statim cum ejus origine aliquæ etiam formæ materiales extiterint, illæ tamen utut non tempore, naturâ tamen fuerunt materiâ posteriores, quippe ex ejus potentiaeductæ. 6. Materia quodammodo ad substantiæ rationem accedit, 1. *Phys.* l. IX. t. 79. Est enim subjectum, quod substantiam esse constat ex VII. *Met.* III. Et quidem. 7. est *primum subjectum, ex quo inexistente res fiunt, non tamen ex accidente, & in quod quæ corrumpuntur ultimò, abeunt.* 1. *Phys.* l. IX. t. 82. Quæ verba doctè exposita sunt à *Conimbr.* ad l. c. *Quest.* II. *Art.* I. 8. Materia etiam post generationem manens unâ cum forma est causa eorum, quæ fiunt, tanquam mater. 1. *Phys.* l. IX. t. 80.

XXVII. 9. Quandoquidem igitur Materia in sua essentia nullam includit formam, illa quoque *secundum se ipsam est incognita*, VII. *Met.* X. t. 35. III. *Phys.* VII. t. 66. sicuti & sensu *immediatè* nō percipitur, quemadmodū nec universalis, singularibus interim, quibuscū universalis natura conjuncta est, in sensum incurrentibus, hinc non aliâ ratione declaratur, quàm vel *negatione* X. *Met.* l. IX. (XI. t. 24.) sicuti & genus, quod cum materia analogiam habet, nonnunquam negatione manifestatur X. *Met.* X.; vel declaratur *analogiâ* materiæ, quam habent formæ artificiales. 1. *Phys.* VII. t. 69.

XXIX. Pleraq; hæc sunt, quæ Aristoteles tradidit de Materia prima, quæ licet seorsim & ab omnibus formis separata non existat: *Inseparabilis* enim est, & si quis ponat, *separatam eam esse, aut nullum occupabit locum, veluti punctus quidam, aut vacuum aut corpus non sensibile erit.* 1. *De Gen. & Corr.*

*Corr. V. t. 27. lib. II. Cap. I. t. 6. non tamen propterea cogitan-
dum est, eam tantum ens rationis esse & merum rationis nostra
figmentum; optimè inquit Sennertus Nat. scient. lib. I. Cap. III.
nisi forte eodem jure elementa & universalia in eum cen-
sum referre velis, quòd illa extra corpora mixta, hæc ex-
tra singularia seorsim non existant.*

XXIX. Neq; etiam arbitrandum est, Aristotelem pri-
mum fuisse, qui hæc docuerit. Accepit illa tantum non
omnia ex Veterum Physicorum, imò ex ipsius Platonis
doctrina. De hac potest testari *Alcinous de doctrina Platonica
Cap. IIX.* ita inquires: *Materiam sanè Plato fictioni subjectam
& omnium receptaculum, nutricem, matrem, locum, subjectumq;
nominat, eamq; sine sensu tangi & adulterinà quâdam ratione vult
comprehendi. Ejus esse proprium, omnes rerum ortus suscipere ac
nutricis instar eas gerere, formas item omnes admittere, cum ipsa
suapte naturâ omnis forma, qualitatis sit expers & speciei. Talia
vero in ea tanquam in tabula effingi ac formari, easq; eam figuras
admittere, cum nec figuram ipsa nec qualitatem habeat ullam. Neq;
enim ad varias formarum impresiones futuram esse idoneam, nisi
qualitate omni, iisq; quas susceptura esset formis penitus careret.*
--- *Convenit namq; materia omnium capaci, si modò formas o-
mnes susceptura sit, nullam ut illarum naturam habeat, sed absq;
qualitate omni atq; specie subjiciatur formis; & cum hujusmodi sit,
neq; corpus, neq; incorporeum quid erit, sed potentiâ corpus, quem-
admodum as potentiâ est statua, quoniam eum statua efficietur,
cum ejus suscipiet formam. Conf. Sebast. Foxii lib. 1. de Platon.
& Arist. Consens. cap. V.*

XXX. Utut verò in prisca Sapiencia sic satis rectè hæc fu-
erint tradita, ea tamen cœperunt à nova & recentiori Phi-
losophia vehementer arrodi. Ac quamvis *Cartesius Princ.
Philos. part. II. num. XXII. XXIII.* communem quandam cœ-
li &

li & terræ in toto universo materiã admittat, etiam si mundi essent infiniti, ex sectatoribus tamen ejus præcipiè *Antonius le Grand Institt. Phil. part. IV. Artic. III.* apertè dicit: *Materiam primam omni quantitate & qualitatibus nudatam esse ens mere fictitium, & sub imaginationem nostram non cadere. Et paucis interjectis: Dicendum igitur, talem materiam, qualem Aristotelici fingunt, non posse ullò modò admitti, cum ex ea nihil in usum nostrum converti possit, & omnino inutilis sit ad nature opera explicanda. Tandem addit: Materia igitur Physica, seu, quod idem est, corpus naturale est substantia in longum, latum & profundum extensa.*

XXXI. Ne verò sine ratione aliquid dixisse videatur, arripit illud, quod secundum Aristotelem, materia non sit quid (quod interpretatur h. m. hoc est non habeat essentiam,) non sit quantum, id est nullam habeat extensionem, neq. quale, hoc est nullas qualitates habeat. Sub qua enim specie aut forma illam imaginari possunt? Deinde hoc urget, quod Aristotelici dicant, materiam illam omnem suam perfectionem à forma substantiali mutuari & absq. illa esse nescio quid evanidum, informe & omni proprietate destitutum. Verùm si materia prima formam substantialem precedat, quomodo ab illa existentiam, mobilitatem, impenetrabilitatem, ceterasq. proprietates accipit? cum forma sit materiã primã posterior & de illius potentia (ut loquuntur) educatur? Nullus effectus causam suam nobilitate antecedit, & implicat, aliquem effectum dare sua causa existentiam & proprietates. Tertium quod urget, hoc est, quòd nullum experimentum explanatum sit materiæ hujus ope, nulla natura phenomena explicata, quæ tamen materia prima sublatã rite discutiantur & distinctius innotescant. Videt verò sibi objici: in hac mutatione naturali materiam primam debere supponi; respondet autem, falsum hoc esse, si benè quid nomine corruptionis importetur

tetur, quis consideret. Nam nihil aliud in conceptu corruptionis involvitur, quam aliquarum partium mutatio, quæ fit, quando aliqua partes amittuntur, & alia in earum locum succedunt.

XXXII. Periculum faciam, an his aliquâ ratione possim satisfacere. Πρώτον λέγεται est, quod hi homines videantur supponere, in Philosophia Aristotelica doceri, materiam primam *existere* absq; omni forma, cum hoc tantum ibi tradatur, nullam formam includi *in essentia* materiæ. Quod attinet verba Aristotelis, quibus docet, materiam esse *neq; quid, neq; quale* &c. illorum sensus ex §. XXIV. est manifestus. Vocula *Quid* non ibi significat *essentiam*, sed potius substantiam ejusq; categoriam: Ad eam utiq; Materia secundum essentiam suam spectata non erat per formam substantialem determinata, quandoquidem nullum aliâs futurum esset compositum accidentale. Ineptum quoq; postulatum est, si à quoquam exigatur, ut materiam primam sub forma & specie sibi imaginetur. Id enim æquè absolum esset, ac si Deum juberet sub ratione corporis concipi. Sicuti nec minus ineptum est, *materiam*, præsertim primam, vocare *corpus* trinam dimensionem habens. Corpus enim est potius compositum quid ex materia & forma, materia autem est simplex res formæ contradistincta.

XXXIII. Ut autem possit quis Cartesianus materiam concipere, optimè fecerit, si eam methodum ineat, quâ ipsemet *Cartesius Dissert. de Method. num. IV. p. 21.* ostendere voluit, mentem suam existere, quæ tamen dum cogitat, à corpore non est separata. Scilicet ἀποείας suæ memor potest fingere corpus suum non esse, atq; sic mens sine corpore concipitur. Pari modo bibant ex oblivionis poculo, & omnium rerû obliti hujus furfuris homines quoties lepidi esse voluerint, fingant formas non esse;

C

fic

fic quod offendit in consideratione rei alicujus naturalis, nil erit nisi materia, habebitq; primæ materiæ λόγον. Formas autem non esse, tanti majore fingere potest jure, quòd præsentēs sæpe intereant, aliæ verò succedant, atq; hæ iterum aliis suò tempore locum sint relicturæ.

xxxiv. Quod alterum attinet, quamvis verum sit, à forma pulchritudinem accedere ad materiam, quâ ipsum compositum &, mediante hõc, materia agnoscat, nunquam tamen in scholis Peripateticorum fuit traditum, formas largiri materiæ existentiam. Hoc itaq; non nisi per magnam injuriam Peripateticis imputatur. Quâ ratione materia dicatur *non-ens* §. xxv. exposui. Otiosum igitur est illud consectarium & impertinens, quò dicitur: nullum effectum suâ causa esse nobiliorem; quamvis id minimè universaliter sit verum, prout tamen supponunt Cartesiani.

xxxv. Quòd nulla naturæ phænomena per solam materiam primam sint explicata, prout tertiò locò objicitur, facile quidem crediderim; sed inde sequi, eam planè non esse, nego & iterum pernego. Quòd autem in explicandis naturæ phænomenis non respiciatur proximè ad primam materiam, ratio est, quia horum causæ proximæ sunt investigandæ atq; explicandæ, non verò remotæ. Quid aliàs hæc sententia in recessu habeat, non addo brevitatis causâ, aliàs multis consequentiis istas doctrinas, quibus materia prima negatur, possem onerare.

xxxvi. Quod *substantialem transmutationem* attinet, notum est, mutationem ex non subjecto in subjectum vocari *generationem*, & quæ huic contraria est, ex subjecto in non subjectum, vocari *corruptionem*. XI. Met. X. Dum verò Cartesiani novum *Corruptionis* λόγον fingunt, nihil efficiunt aliud, quàm ut vel lis fiat de termino, vel sub antiquis vocabulis

bulis horridæ condantur sententiæ. Sanè si corpori humano ex eo solo contingat corruptio, quòd forma aliquarum partium ipsius alteretur & alia ipsis adveniant; ut loquitur noster, sive quod propter motū particule nonnullæ effluxerint, novæ verò successerint, quot vicibus homo sexagenarius erit corruptus? Sic redit tandem per hos homines in orbem *Heracliti & Cratylæ* doctrina, qui ob fluxum continentem tantam rerum inconstantiam esse statuerunt, ut eundem fluvium, bis ingredi non detur, imò vix semel, cum & fluvius mutatus sit, & homo mutetur. Qua de re vid. *IV. Metaph. V.* Sic ergò magnò conatu *nugas vendunt* hi homines, ubi se non vulgariter *philosophari* arbitrantur.

XXXVII. Scripsit *Johannes Claubergius* libellum de differentiis inter *Cartesianam & aliàs in scholis usitatam Philosophiam*. In eo *Diff. X.* fugillat doctrinam Aristotelicam, quòd nonnullas res sive propter ipsarum imperfectionem, sive propter summam earundem perfectionem, sive propter imperfectum nostrum cognoscendi modum *negative* describat, atq; inter alia *Materia* quoq; exemplum adducit; laudat verò Cartesianam Philosophiam, quòd *res describat per rectam proprietatum affirmantium, quas habent, denominationem*. Ego hanc gloriam *Novæ huic Philosophiæ* non quidem invideo, id tamen me haud fugit, si plurimas Cartesianorum malè compactas definitiones vellemus sub examen vocare, facile ostendi posse, quàm longè ab futuræ sint à bonæ definitionis perfectione: Debebant etiam homines nosse, quòd aliàs dicitur: *ὄρει πάντος ὄρον ζητεῖν, ἀλλὰ τὸ ἀνάλογον συνορᾶν. IX. Met. VI.*

XXXIX. Isti *Claubergii* libro sunt nonnullæ additæ *Dissertationes* alius Autoris, quas inter tertia est *de notis vera Philosophiæ, ubi illa inveniuntur*. In ea verò hæc habentur verba.

Nos brevibus tantum prima & specialia principia Scholastica (Peripateticæ) hujus Philosophiæ, quæ Physicam spectant, ad lydium istum veræ Philosophiæ lapidem examinabimus. -- Illa autem dicuntur esse, Materia prima, Forma substantialis, Privatio. Et postquam de Materia prima exposuisset nonnulla, subjicit: En quàm eximium Philosophiæ Scholasticæ principium hoc est! Quàm bene convenit cum nota primi principii veræ Philosophiæ, scil. quòd tam evidens & clarum esse debeat, ut de ejus veritate mens nostra neutiquam dubitare possit, cum ipsis Philosophis Scholasticis fatentibus materia prima tenebrarum rationem habeat &c. --- Imò ostendi etiam possent manifestissima in hac enarrata de materia prima Scholasticorum sententia contradictiones & falsitates absurdissima, at cum brevitati studeamus, sufficit ostendisse, quòd materia prima veræ philosophiæ principium esse non possit, quandoquidem quid abstrusissimum & obscurissimum, nullâq; ratione distinctè cognoscibile existit.

XXXIX. Existimavi hætenus Cartesianos reverà esse, quod sibi persuadent, nimirum homines, quibus sol ipse sit pro cerebro, sed hîc invenio hominem adeò stupidum, ut sine indignatione fermè eum dimittere non possim. Dic enim quæso, Cartesiane insectator, quis in scholis Peripateticorum unquam *Materiam primam* habuerit pro principio Philosophiæ? aut minimum ejus Philosophiæ, quæ *physicam respicit*? Aut si hoc non potes, cavillator es, qui hominibus sententiam affingis, quæ ipsis ne per febrem quidem quartanam in mentem venire potuerunt. Hoc quidem dicunt: *Materiam esse principium corporis naturalis*; Sed estne corpus naturale Philosophiæ? Quod si hoc, ineptè revocas materiam ad leges principiorum primorum Philosophiæ! Hæc utiq; & clara & vera debent esse. Dum veritatem requiris, fateris de complexis principiis tibi esse,
sermo-

sermonem. Incomplexa enim sicut nihil affirmant vel negant, ita nec vera sunt, nec falsa. *lib. περὶ ἐπιμ. cap. 1.* Cur ergo ad leges complexorum principiorum revocas ipsam materiam? Hoc facere profecto non est hominis secum habitantis.

XL. Magnò etiam promittis hiatus contradictiones, quas secum vehat doctrina de Materia; ego autem certissimus sum, ne unicam quidem ostendi abs te posse. Contradictionem quidem esse dixeras: *Omnipotentiam divinam in nihil & non-ens*, (cujusmodi vis esse materiam,) *terminari posse*. Contradictionem etiam fortè tibi implicat, quòd materiæ tribuatur appetitus, inclinatio, propensio, cum appetitus rationem præsupponat. Sed acquiesce & prius clarè secundum leges tuæ Philosophiæ eloquere, *quid sit terminari in nihil?* Sin ita hoc intelligis: *τὸ Nihil* non posse esse terminum à quo alicujus actionis divinæ, tunc creationem & Angelorum & animæ rationalis ipsò factò negas. Sin ita intelligi cupis: nullius actionis divinæ terminum ultimum & ad quem posse esse nihil; Deo negas annihilandi potentiam. De utroq; jam dispice. Sed & hoc monitum habe: Exue tua præjudicia & disce prius, quâ ratione in scholis Peripateticorum materia prima dicatur, *non-ens*, antequam de ea doctrina iudicium interponas. Quod dicunt tui similes, *appetitum præsupponere rationem*, & propterea eundem materiæ tribui non posse, id revera Cartesianum i. e. ineptum est. Quis enim nescit, Peripateticos hoc de appetitu naturali, què ipse *innatum* vocas, intelligere, qui consistit in non resistentia, cum agens formam introducere conatur. Legantur *Conimbr. ad 1. Phys. xx. Quest. V. Art. 1.* Quod verò appetitum *elicatum* attinet, ille quidem cognitionem præsupponit, sed cognitio est vel

sensualis, quæ in brutis etiam est, vel intellectualis, quæ in hominem quoq; cadit. Brutis verò cum competat, quoq; appetitus, facile apparet, nec omnem quidem *elicium* appetitum præsupponere rationem.

XLI. Ejusdem commatis sunt, quæ ab eodem Autore de Forma substantiali afferuntur, aliâ discutienda occasione. De *Privatione* monet, *eam principii nomen non nisi abusive gerere.* Iterum verò hoc intelligit de principio philosophiæ, cum tamen de principio corporis naturalis illud accipere debuisset. Alii addunt, si privatio esset principium, non obstare, quò minus etiam locum, tempus & reliqua omnia, quæ *Seneca Epist. LXVI.* causis annumeravit, pari jure principiis (generationis) accenseamus. Sed prius horum tolerabilius est, in quantum de corporis naturalis principio sermo est. Neq; enim Aristoteles ipse, Privationem eodem modò & gradu agnovit pro principio, quò materiam & formam, sufficit interim eam esse principium, quòd saltem se habeat ut *terminus à quo*, ceu agnoscere videtur *Autor Dissertationis*, quocum res nobis est. Posterius verò iterum nihil habet sani. Nam privatio tale est principium corporis naturalis, quod contrariam habet formam, cujus accessu etiam aboletur. Id quod de loco ac tempore dici non potest. Vid. *1. phys. VII. t. 70.*

XLII. Sed è diverticulo oportet in viam regredi, atq; adhuc alias Materiæ distinctiones considerare. Et quidem Aristoteles ubi docet, quâ ratione partes, & in specie materia λόγος rei ingrediantur, Materiam distinguit in *Sensibilem & intelligibilem.* Ita namque *libr. VII. Met. XI.* inquit: *Est materia alia sensibilis, alia intelligibilis.* Arbitratur *Fonseca ad l. c.* addendum esse, *utramq; esse in causa, cur individua, quæ ex illa constanti, habeant aliquid ultra naturam specifi-*

cificam, quod certè in materialibus rei partibus numerari debet, non in formalibus, & ad ipsam quidditatem specificam pertinentibus. Paulò expressius cap. preced. dixerat Philosophus: *Materia autem ignota per se est. Estq; alia materia sensibilis, alia intelligibilis. Sensibilis, ut æs & lignum & quæcunq; motui subicitur. Intelligibilis, quæ in sensibilibus existit, non ut sensibilia sunt; ut res mathematica.* Inferius libr. iix. Met. vi. ait: *Est autem Materia alia intelligibilis, alia sensibilis; Et semper ἐν τῷ λόγῳ in ratione (formali) alterum materia est, alterum actus; ut cùm circulus dicitur figura plana.*

XLIII. Thomas part. I. Quæst. 85. Art. 1. Materiam sensibilem accipit pro materia prima induta accidentibus, quæ sensum movent. Intelligibilem etiam materiam dicit esse eandem materiam primam, spectatam tamen prout soli quantitati subest. Verùm enim verò quamvis materia sensibilis sub se complectatur primam materiam, utpote quæ motui quoque subicitur, tamen ab eadem secunda materia cujusmodi est æs, lignum, illud quidem ratione statuæ, hoc autem ratione lecti non est excludenda. Est enim & hæc qualitatibus sensibilibus vestita, per quas in sensus incurrit, quam ob causam materiam vocari *sensibilem* P. Musæus Institt. Met. cap. xvii. §. 2. observat. Quod verò intelligibilem materiam attinet, vix poterit ea esse materia prima, quandoquidem aliàs sequeretur, Geometram, qui circa intelligibilem materiam versatur, suâ consideratione substantiam attingere, cùm tamen XII. Met. iix t. 44. doceatur, *Arithmetica & Geometria in substantia nulla versari.* Rectius igitur intelligibilem materiam ita accipimus, ut sit ipsa *magnitudo*, quemadmodum & ipse Aristoteles rerum mathematicarum exempla adducit. Vocatur autem
Magni

Magnitudo *materia* per analogiam ad materiam sensibilem, quandoquidem sicut hæc formis, ita illa figuris, substat. *Intelligibilis* verò vocatur, quoniam est *ἐν αἰσθησίσει λεγόμεν*, ut dicitur III. *de Anim.* l. X. t. 39. Conf. *Conimbr. Prooem. in libb. Phys. Quest. I. Art. IV.*

XLIV. Sunt & porrò nonnulli, qui Materiam, & quidem potissimum secundam, dispescunt in Separabilem & Inseparabilem. *Separabilem* vocant eam, quæ non ita est materia alicujus, quin etiam alia res specie vel número diversa ejusdem materia esse queat. Quò pacto poculi materia est aurum, sed ita, ut ex argento quoq; & cupro fieri possit poculum. *Inseparabilis* materia ipsis est, quæ ita est materia alicujus, ut alia res diversæ speciei non æquæ ejus materia esse possit. Quò pacto ferræ materia est ferrum.

XLV. Communiter putant, hanc distinctionem ab Aristotele traditam esse VII. *Met.* XI. Verùm eò potius in loco disquirat Philosophus, quænam materia rerum definitiones ingrediatur, quænam minus? Quod ibi tuse quidem disputatum reperitur, ita tamen ut nulla fiat mentio materiæ, quæ sit separabilis, quin potius Aristotelis judiciò materia est inseparabilis. *libr. I. de Gener. & Corrupt. cap. V. t. 27. & seq. lib. II. cap. I. t. 6.*

XLVI. Poterit tamen hæc distinctio ita emendari, ut dicatur, nonnullos effectus ita se habere, ut certam ac *determinatam* requirant materiam; nonnullos verò ita se habere, ut eorum materia sit *indeterminata*, cum ex alia quoque possint fieri materia. Vt ita materia dicatur determinata ratione certi effectus, ita ut ex alia materia is fieri non possit. Sic v. g. ferræ est materia determinata, non in se, quasi certo alicui effectui unice sit destinata, sed ratione certi effectus v. g. ferræ: si enim
nim

nim ferra est conficienda, illa ex nulla alia materia potest fieri, nisi ex ferro, utut aliàs ex eodem & culter & clavus & forceps fieri possint. At verò ratione vestis pannus ex lana factus non est materia determinata, cum & lintea & holo serica possit esse vestis.

XLVII. Deniq; solet etiam Materia, eaq; iterum secunda, dispesci in *Transseuntem* & *Permanentem*. Hæc vocatur, quæ ita compositi constitutionem ingreditur, ut integram retineat suam essentiam: Quò pacto lignum est materia lecti. Illa vocatur, quæ compositi constitutionem ita ingreditur, ut in eodem suam essentiam non retineat integram. Quò pacto farina est materia panis.

XLVIII. Sunt non nulli, qui materiam transeuntem non agnoscunt pro materia propriè dicta. Siquidem & *Suarez Disp. Met, XIII. Sect. 1. num. 2.* illum modum, secundum quem materia spectatur ut transiens, ab hac tractatione, ubi materia ut causa consideratur, remouet, *Materiam* contrà *manentem* dicit esse *propriam & internam causam materialem, quæ manet in composito, seu in termino generationis, conferens suò modò ad constitutionem illius.* Verum enim verò quamvis materiæ sit *inesse composito*, non tamen semper necessum est, ut quoad totam essentiam suam eidem insit, cum sufficiat sæpe, ut eidem insit secundum partem essentiæ, eam quidem, quæ non actus, sed potentia est.

XLIX. Quamvis autem Materia permanens in composito suam essentiam retineat integram, non tamen illud ingreditur absq; aliquali sui mutatione; prout indicatur VII. *Met. VII. Si quis diligenter attendat, non utiq; simpliciter dixerit, vel ex ligno fieri statuam, vel domum ex lateribus: Oportet enim id, ex quo aliquid fit, non permanere, sed mutari.*

D

L. Ad

L. Ad materiam Ex qua pertinet quoq; Elementum: siquidem & ipse Arist. VII. Met. XVII. elementum id esse dicit, in quod inexistens aliquid dividitur, ut in materiam. Non tamen omne inexistens, licet se habeat ut materia, pro elemento erit habendum, sed id demum, ex quo ita aliquid componitur, ut primum insit, ac indivisibile specie in aliam speciem. V. Met. III. Quô pacto Aristoteles syllabas vocum, prima illa corpora, quorum numerum determinavit Empedocles I. Met. III. corporum mixtorum, nec non diagrammata & omninò primas demonstrationes reliquarum demonstrationum elementa esse dicit.

LI. Tria igitur ad elementa requiri res ipsa loquitur. Etenim I. exigitur, ut insit. Nunc verò elementum rei, cujus elementum est, actu & quoad totam essentiam inest; quô pacto syllabæ sunt in voce: nunc verò sufficit, si composito κατὰ δύναμιν ac potentiâ, aut secundum alteram tantum essentia suæ partem insit. Quô pacto prima demonstratio est in reliquis omnibus ab ea pendentibus; & τῶν ῥητορικῶν sunt in demonstrationibus ac syllogismis Oratorum. Sicuti & κατὰ δύναμιν elementa sunt in corporibus naturalibus mixtis, ita tamen ut à formis eorum hujusmodi mixto contrariæ qualitates in se invicem agentes eamq; ob causam refractæ imprimantur. Hinc Aristoteles I. de Gen. & Corr. X. t. 84. inquit. *Qua miscentur, - neq; permanent actu, neq; corrumpuntur, - nam eorum virtus atq; potentia salva manet.* Unde & Fonseca in V. Met. II. Quest. I. Sect. I. ait. *Non putamus, elementa manere formaliter in misto -- sed virtute duntaxat & efficaciâ.* Add. Suarez. Disp. Met. XV. Sect. XI. n. 41. seqq. Zeisold. libr. II. Instit. Phys. Sect. II. § 74. seqq. Quæ ipsa expendens Aristoteles libr. III. de Cælo cap. III. t. 31. indicat, nihil referre ad rationem elementi, au sit

an fit in mixto aëtu, an potentiâ, cùm sufficere possit, si eidem insit potentiâ.

LII. Requiritur 2. ad elementū, *ut primum insit*. Hinc quamvis corp⁹ animalis constet ex partibus heterogeneis, hæ tamen non sunt elementa ejusdē, cùm nō insint primę, quippe quæ ipsę partes agnoscunt se priores. 3. Requiritur, *ut sit indivisibile specie in aliam speciem* h. e. ut in partes specie diversas dividi nequeat, idq; si non *absolutè*, saltem *secundum quid* & in certo genere. Quô pactō Aristoteles *l. c.* vocum elementa dicebat esse syllabas, quæ licet in plures literas possint dividi, non tamen dividuntur in plures syllabas, tanquam res ejusdem quidem generis propriis tamen differentiis sejunctas; similiter corporibus naturalibus tribuit quædam elementa, quæ etsi in materiam & formam sint divisibilia, non tamen sunt in alia corpora tanquam in species ejusdem generis divisibilia.

LIII. Nolo hâc vice de Elemento plura addere: Quæ enim aliàs *οἱ μεταφέρωντες* vocârint *στοχεῖα*, indicavit Arist. *l. c.* ac prolixè expositum est à P. Museo *Instit. Met. Cap. XII. § 4. 5. 6.*

LIV. Progredior itaq; ad Materiam *In qua*, quæ & *Subjctum* appellari consuevit, quamvis accuratè loquendo Subjectum latius pateat, quàm Materia in qua. Placet nihilominus eâ latitudine hâc vice uti, quam *Subjcti* consideratio requirit, cùm quod de subjctō dicitur, ad materiam ejusmodi, in qua forma aliqua est, haud difficulter possit applicari.

LV. Solet verò Subjectum aliud dici *Operationis*, aliud *Inhesionis*. Illud quidem vocatur omne illud, in quod forma, vel res quæ formam habet, agit, & finem suum introducere conatur, cùm ceteroquin ipsi non insit. Quô pactō artis Medicæ, imò ipsius Medici subjectum opera-

D 2

tionis

tionis est ægrotus: in hunc enim sanitatem introducere conatur. Hoc verò dicitur comparatione alicujus formæ, quæ ipsi inest, sive quam sibi unitam habet. Quod subjectum Inhæſionis hujus potissimum est loci, cum alterum illud, nempe subjectum operationis, potius sit ipsum objectum.

LVI. Subjecto *inhæſionis* contradistingui solet subjectum *Informationis*, interq; ea hoc statui discriminis, quòd *illud* respiciat formam accidentalem sibi inhærentem, *hoc* autem respiciat formam substantialem sibi supervenientem. Quò pacto caloris subjectum inhæſionis est aqua, homo eruditionis. Sic carnem Aristoteles *VII. Met. X.* vocat materiam, *in qua* fit cavitas; Et *eòdem cap.* ait: in ære rotunditatem fieri. At verò corpus rei viventis erit subjectum informationis ratione animæ vegetantis, sicut corpus animalis est subjectum informationis ratione animæ sentientis.

LVII. Quòd autem subjectum inhæſionis quàm maximè dicatur respicere formam accidentalem, inde factum, quòd de accidentibus præcipuè dicatur nunc τὸ ὑπάρχεν τιμὶ *libr. Categ. V. §. 3. 1. Top. V. §. 4. libr. IV. Top. I. §. 4.* nunc τὸ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι, *libr. Categ. cap. II.* ita quidem, ut id, cui insunt accidentia, etiam possit esse τὸ δέ τι. Circa subjectum informationis notandum, quòd quamvis τὸ *Informare* omnibus formis commune sit, hîc tamen speciali ratione ad formam substantialem coarctetur. Præterea sciendum, subjectum informationis esse vel ita comparatum, ut non solum sit subjectum informationis factæ à forma, sed & sit subjectum ipsius formæ, per quam informatur; vel ita se habet, ut sit quidem subjectum informationis tantum, non autem subjectum formæ. Prius fit, quando forma est materialis, posterius autem quando
forma

forma est immaterialis. Sic corpus humanum est quidem subjectum, quod ab anima rationali informatur, ipsum tamen non est ipsius animæ rationalis subjectum, five non est id, in quo anima rationalis fit tanquam in subjecto. At animæ sensitivæ subjectum informationis ita est corpus animalis, ut simul in illo fit tanquam in subjecto, nec extra illud esse queat. Vid. *P. Mus. Instit. Met. Cap. XIX. §. 12. 13.*

LII. Subjectum inhæfionis ulterius solet dispefci in *ultimum & non ultimum*. Ultimum quidem subjectum vocant, quod ita est subjectum, ut ipsum in nullo sit subjecto. Subjectum verò non-ultimum vocant, quod ita est subjectum formæ, ut & ipsum fit in aliquo subjecto. Quò pacto paries est subjectum ultimum ratione superficiei, superficies verò tam ratione figuræ, quam ratione albedinis esset subjectum non-ultimum.

LIX. An detur subjectum aliquod non-ultimum? five quod idem est: An accidens nonnunquam fit subjectum Quod alterius accidentis? inter Scholasticos pridem quaeri cœpit. *Gregorius Ariminensis in II. Sent. Dist. XII. Quest. II. Art. 2.* negat hoc, quem alii hac in parte sequuntur, cum *Aristoteles IV. Met. IV. t. 14.* dicat, *accidentis non esse accidens, nisi fortè utrumq; ei accidat*. Ad quem locum legi merentur, quæ *Sonerus in suo Comm. p. 240.* observavit. In affirmativam sententiam pronior est *Durandus in I. Sent. Dist. II. Quest. IV.* quem sequitur *Suaresius Disp. Met. XIV. Sect. IV.* Longum foret illam quæstionem ex suis principiis deducere, præsertim cum hõ labore me levaverit *Clar. Dn. Prafes in Lustr. Pracip. Controv. in prima Phil. occur. cap. II. Quest. V.* Ideoq; hoc observare tantum placet, accidentia nonnunquam subjecto inesse cum ordine aliquo, ita ut

D 3

cum

cum unum subjecto insit immediatè , alterum eidem insit mediante alio , inde tamen non statim sequi , illud quod subjecto inest immediatè , esse simul subjectum ejus , quod mediatè inest. Benè namq; *Piccartus in Phil. Altdorff. Disp. de Accid. §. 24.* inquit: *Quid si dicamus? accidens quidem non inesse accidenti , ut subjecto , sed ordine tamen quòdam substantia accidentia inesse , & unum quidem per & propter alterum.* Et ante eum *Fonseca ad IV. Met. IV. p. 872.* scripsit: *Et si in plerisq; accidentibus datur ordo causa, cum alia quasi orientur ex aliis , non tamen datur ordo subjectionis inter ea : Etenim nullum accidens est propriè subjectum alterius.*

LX. Dixi hætenus de subjecto tam inhæfionis , quàm informationis , quibus à *Mendoza Disp. Phys. XII. Sect. IV. §. 41.* superadditur *Subjectum adhæfionis* , quod aliàs vocat *subjectum intrinseca denominationis* , quandoquidem *intrinsecè afficitur ac denominatur à forma , quâ per naturam est posterius.* Quò pactò creationis subjectum est creatura , & in universum actionis subjectum est terminus ipsius actionis. Quemadmodum enim motus non est in movente , sed potiùs in re mobili , ut docemur *III. Phys. III. t. 18. 20. 22. III. de Anim. II. t. 139. seqq. IX. Met. IX. t. 16.* est enim *actus rei mobilis quatenus est mobilis III. Phys. II. t. 17.* ita & quælibet actio , quæ non est motus , præsertim si transiens sit , non erit in agente , sed erit in termino suo. Quâ ratione hoc subjectum adhæfionis à subjecto inhæfionis sit discernendum , legi potest apud *Slevogtum Disp. Theoret. IV. §. 29.*

LXI. His ita expeditis , superest , ut pauca de *Materia Circa quam* adhuc adjungam. Solet illa aliàs *Objectum* vocari. Quamvis verò me non fugiat , majorem objecti esse latitudinem , quàm *Materiae circa quam* , visum tamen est illam latitudinem hæc vice sectari , similem quidem ob causam , qualem §. LIV. allegavi.

LXII. Vo-

LXII. Vocamus autem Objectum omne illud, circa quod potentia vel actus ejusdem versatur. Quod tamen non unô modô fieri res ipsa loquitur. Nunc enim potentia vel actus ejus ita sese habet, ut potentia in id, circa quod versatur, non agat, imutando illud neq; producat illud, sed ut actum tantum circa ipsum eliciat. Quô pacto visus objectum potest esse paries albus. Cujusmodi objectum est terminus actionis extrinsecus. Nunc verò potentia ita versatur circa objectum, ut illud ipsum per actionem producat, fitq; adeò terminus actionis intrinsecus. Idq; iterum bifariam: vel nullâ existente materiâ; quô pacto angelus est objectum potentia creatricis: vel præexistente aliquâ materiâ; quomodo calceus est objectum artis futoriae, domus artis architectonicae.

LXIII. Quandoquidem verò potentiis annumerantur quoq; habitus & scientia IX. Met. II. & cap. IV. hinc & illæ suum habebunt objectum. Qamvis autem tam latè scientiarum objectum extendi possit, ut quæ sub earundem cognitionem veniunt, omnia complectatur, generalis tamen acceptio illa non ita frequens est. Usitatus verò specialiori quâdam ratione objectum sumitur in theoreticis quidem scientiis, prout cum affectionibus, tum principiis, in practicis verò prout fini & mediis contradistinguitur, nec raro *Subjectum* vocatur. Ibi namq; ita sese habet, ut affectiones eidem inesse per propria principia fit demonstrandum, hîc verò ut finis in illud per accommodata media fit introducendus.

LXIV. Hæc scientiarum objecta istud cum aliarum potentiarum objectis habent commune, ut in illis quoque *materiale* (res considerata) à *formali* (modo considerandi) sit distinguendum, non quasi sint objecta separata, sed potius

tius quòd sint *unius objecti diversa rationes, & quasi partes, perinde ut materia & forma sunt partes unius compositi; ut loquitur P. Musæus Institt. Met. cap. XX. §. 10.* Utrumq; autem est vel *adaquatam*, vel *inadaquatam*, prout quidem vel omnia complectitur, quæ potentia vel habitus alicujus actibus attinguntur, aut saltem aliqua eorum; vel omnem rationem, sub qua potentia vel habitus res sibi subjectas attingit, aut saltem aliquam tantum, non verò omnem complectitur.

LXV. An & quousq; objectum inter causas sit referendum, paucis sic expediri potest: 1. Si objectum spectetur prout est terminus actionis sive intrinsecus, sive extrinsecus, non est causa aliqua. 2. Si objectum consideretur ut principium movens facultatem cognoscendi, ad speciem cognoscibilem productam concurreret quodammodo per modum causæ efficientis. 3. Sin consideretur tanquam principium movens facultatem appetendi, rationem causæ finalis induit. Videantur hæc pluribus apud *Suarez. Diss. Met. XII. Sect. III. num. 7. & Mus.*

l. c. §. 3. 4. In quibus omnibus hæc vice
lubens acquiesco.





ALVENSLEBEN
T
173



B.I.G.

Farbkarte #13

METAPHYSICA
DE

MATE-

ALI,

AM
in Numinis gratia
CADEMIA JULIA
SIDE

BARTHOLDO EIERO

*Professore Publico
ordinario*

phica h. t. Decand
andam proponet
HENRICUS Behm
erderensis.

OR.
D MAJORI
or. cl3 l3c XXCIV.



T 173

STADI,
RICI HESSII.

7

